



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Disputationes De Deo Homine, Sive De Incarnatione Filii
Dei**

Hurtado de Mendoza, Pedro

Antverpiae, 1634

Sectio III. Aliorum probatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82720](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82720)

S. Thom.
q. 2. a. 11.

ctus formaliter vt effectus & causa cum similitate rationis, nego. & distinguo consequens: ergo est dignificatus ad præmia posteriora, vel pro instanti sequenti, concedo consequentiam; ad alia, nego. Igitur in nullo priori signo concipitur actus carens dignitate ad præmia sequentia; esset tamen falsa conceptio: at nec concipitur vt dignificatus ad præmia antecedentia. & quia in illo priori concipitur vt mouens secundum se, quin ad vnionem moueat per ipsam, ideo non est meritum infinitum ad illam, sed finitum: quia realiter vnio non mouet ad se, sed posterius.

§. 14. Arguit deinde P. Vasquez: Omnis actus datus illi humanitati esset intuitu vnionis: ergo esset infinite gratus, & consequenter non posset mereri vnionem. Respondeo, ab ipso affirmari disp. 38. n. 10. posse dici in gratiam Epiphaniij præcessisse in anima Christi actum aliquem bonum, non vt meritum ad impetrandam vnionem, sed præcedere secundum suam naturam. Rogo, vtrum ille actus sit datus intuitu vnionis, an verò non? si non: ergo non datur illi humanitati necessarium omnis actus intuitu vnionis: cuius oppositum est in primo antecedenti. si autem datur: ergo non est prior vnione, nec in gratiam Epiphaniij id potest dici. Nego igitur antecedens: datur intuitu vnionis in genere causæ finalis; non verò vnionis in genere causæ dignificantis, & vt existentis. si ergo præcessit vt liber, & secundum se, in illo priori placuit Deo, & potuit impetrare vnionem, nec fuit ab vnione: impetrare dico latè, pro inferre ex voluntate Dei spectante illum actum.

§. 15. Arguit præterea de operibus profectis ab auxilio, & dignificatis per gratiam habitualement, quia gratia non potuit præcedere vnionem: ergo. Probat antecedens: quia gratia si præcederet, daretur ex solo affectu adoptionis: ipsa enim secundum se constituit filium Dei, non naturalem, sed adoptiuum; constitueretque filium adoptiuum Christum. Respondeo, gratiam habitualement potuisse præcedere. Ad probationem respondeo, non fore datam ex affectu adoptionis, sed præscindente ab adoptione, & naturali filiatione. Ad probationem respondeo, gratiam secundum se non constituit filium adoptiuum, aut naturalem; sed præcisè subiectum gratum, particeps naturæ diuinæ: vt autem hoc subiectum sit filius adoptiuus, opus est vt careat realiter supposito non alieno à Deo: vt autem subiectum sit filius naturalis, eget eo supposito: cum autem pro illo priori gratia præscindatur à supposito diuino, & eius carentia in suo subiecto, illud nec reddit adoptiuum, nec naturalem. at in toto instanti est filius naturalis non à gratia habituali, sed ab hypostatica.

§. 16. Aliud argumentum: Vnio non potest augeri per bona opera: ergo nec cadere sub merito. Respondeo id probare humanitatem tempore præcedentem non posse mereri vnionem: quia nec eius augmentum: nec Christus potest alicui naturæ creatæ mereri vnionem hypostaticam cum Spiritu sancto: quia nec eius augmentum, nec vnionem corporis & animi. Nego igitur consequentiam, quia substantia vnionis potest à Deo donari intuitu operis, augmentum verò non potest: quia primum est possibile; secundum autem impossibile.

§. 17. Tandem, humanitas Christi non potuit

pro illo priori peccare, nec potest amittere vnionem per peccatum: ergo. Respondeo antecedens esse falsum in ordine ad potentiam absolutam, vt constat disp. 60. §. 19. consequentia verò est mala: quia potest esse in Christo libertas ad operandum, & non operandum actum non præceptum: (de consilio infra disquiram:) & non esse libertas ad bonum, & malum; vt de facto est ad diuersa bona, & ad nullum malum. Quia eo ipso quod est vnio in instanti reali, perit in illo carentiam potentie proximæ ad peccandum: quia id pertinet ad dignitatem sanctitatis per aliquid diuinum, & infinitum. Argumentum autem de physica mutatione, non potest hic fieri: quia in sententia pro Epiphaniio adducta disp. 25. §. 9. sunt modò actus disponentes ad vnionem, & potuit Deus velle vno actu eam dare, si præcedat actio humanitatis, cui actui libero Dei responderet mutatio physica: ita potuit absolute contingere.

SECTIO III.

Aliorum probatio.

§. 18. P. Iosephus Ragusa disp. 42. §. 2. magis accedens communi sententiæ de necessitate suppositi ad operandum, probat humanitatem non potuisse nec ex natura rei, nec diuinitus mereri vnionem hypostaticam. quia vnio hypostatica ita est prior naturæ operationibus, vt non possit humanitas nec esse, nec concipi, nisi dependens à supposito proprio, vel alieno: & quia humanitas non est in proprio, debet in alieno prius concipi, quam intelligatur operari: ergo operatio non potest esse meritum ad vnionem. Consequentia est certa: quia meritum concipitur, & potest esse prius, quam præmium. Antecedens probat, à ratione existentie, & operationis: illa enim est prior, quam hæc: sed non solum existentia est prior, sed etiam modus existendi vel in se, vel in alio, est prior ipsa operatione: ergo suppositum est prius. Probat Minorem, quia quamuis existentia concipi possit præcisè ab illis modis; at in re non potest esse sine alterutro.

§. 19. Hæc ratio nihil probat. Distinguenda est duplex ratio existendi in se, vel in alio: altera in se independenter à subiecto inhesionis, & in alio, vt in subiecto: altera existendi in se vt in propria persona, & in alio vt in aliena. Respondeo, humanitatem non posse concipi ex parte corporis & animi operantem, quin concipiatur vt in se in prima significatione ratione illarum partium: quia ex natura sua creantur & sunt independentes à subiecto. Vnde non potest humanitas mereri etiam diuinitus illum modum existendi per se; de creatione & educatione accidentium, alia est ratio infra disquiranda.

§. 20. De modo autem existendi in supposito non vrget argumentum ex §. 18. Respondeo, non posse concipi operationem humanitatis, quin concipiatur eius existentia vt prior natura: nego autem debere concipi illum modum existendi in supposito proprio, vel alieno. Ad probationem respondeo, posse diuinitus conseruari naturam creatam absque omni supposito, vt latè defendi vol. 1. disp. 11. Metaphyl. §. 122. & 123. cum Caiet. & P. Valentia.

lentia. quod cum aliquibus Thomistis probabile cenfet Nazarius; p. q. 2. a. 11. controu. 1. q. 4. vers. *Si quasi sit.* Vnde poterit humanitas concipi prius ratione & tempore operans, quam subsistens.

§. 21. Obijcis Primò, effectum formalem suppositi esse reddere naturam existentem per se independentem à subiecto inhaesionis: ergo non potest natura mereri suppositum. Nego antecedens, vt ostendi disp. 11. Metaphys. à §. 66. tota autem ea sect. 6. expliciti formalem effectum subsistentia: quam §. 80. dixi esse complementum substantiale naturæ in ordine ad esse.

§. 22. Obijcis Secundò: Natura sic existens absque supposito esset sensibilis omni sensu, actiua, & passiuia, item & singularis: ergo esset cum supposito: quia suppositum dat singularitatem, vt dixit S. Thomas art. 2. & reddit naturam actiuam & passiuam: si verò non esset sensibilis, esset merè ideæ Platonicæ. Respondeo, naturam illam fore singularem, actiuam, passiuam, & sensibilem omni sensu, nego tamen eam habere suppositum. & quidem S. Thomas fatetur assumptam humanitatem indiuiduam, & singularem; quod non habet à Verbo formaliter: id enim quis non irrideret? est enim omne ens reale singulare seipso; quia est vnum numero seipso: singulare autem exponimus vnum numero. est item seipso indiuiduum: quia est indiuiduum in se, & diuisum ab alio, id est, non potest diuidi in alia, quæ sint idem realiter & adæquatè cum illo. in quo fitam esse indiuiduationem ostendi in Metaphys. disp. 5. à §. 1. S. Thomas explicandus est egisse de singularitate completa, non de incompleta.

§. 23. Negauit fundamentum huius opinionis: nunc concedo disputandi gratia, non posse naturam creatam existere sine aliquo supposito. probò inde non sequi, humanitatem Christi non potuisse mereri vnionem hypostaticam: quia humanitas multa potest mereri, sine quibus in genere esse non potest, vt vbi, existentiam in tali tempore, & id genus alia. Quia licet non possit esse absque aliquo illorum; nullum tamen est principium per se actionis liberæ, nec naturæ operantis.

§. 24. Obijcis Primùm, accidens non posse concipi operans sine creatione, aut educatione: ergo nec humanitas sine supposito. Nego consequentiam: quia creatio aut educatio sunt rationes, à quibus pendet ipsa virtus operatrix à priori, & non à posteriori: existentia ergo concipi non potest sine productione antecedenti aliqua prioritate naturæ; licet imperfecta: suppositum autem non est nisi posterius natura ipsa humanitate: est ergo ab similibus ratio.

§. 25. Obijcis Secundò, actiones pendere à supposito à priori: quia actiones sunt suppositorum. Iam ostendi vol. 1. disp. 11. Metaphys. §. 110. substantiam creatam non esse principium per se influens in actiones naturæ; sed esse conditionem substantialem, sine qua natura non existit. ob quod actiones tribuuntur toti supposito: naturæ quidem vt operandi virtuti; subsistentiæ autem vt conditioni substantiali, & conceptui intrinseco hominis, leonis, &c. In diuinis alia est ratio: quia productio est inter distincta realiter: quod ibi non est nisi inter supposita opposita.

§. 26. Ad argumentum ex §. 23. distinguo Minorem: natura non potest existere nisi in se, vel in

alio à parte rei, permitto: obiectiue immediatè, ne- s. Thom. 2. go. item non potest exiltere sine supposito, vt influente per se in actionem, aut eius virtutem, nego: vt conditione substantiali consequente naturam, & per se, nec influente, nec conditione immediata ad actionem, concedo: ergo non potest cadere sub meritum naturæ, nego consequentiam.

S E C T I O I V.

Ratio sententiæ communis.

§. 27. Sententiam communem probare possumus Primò, ex August. adducto disp. 25. §. 7. negante humanitati Christi actionem aliquam naturalem, aut supernaturalem, qua se disposuerit ad vnionem. & licet tantum factum sonare videatur; tamen rationes eò tendunt, vt etiam potentiam negent: nam si ex natura sua Christus potuisset eam habere, vnde August. tam constanter colligeret eam non habuisse; cum ad id nullum afferat Scripturæ testimonium, quo probetur illam potentiam impeditam? Itaque ex naturali impotentia operandi ante suppositum colligit negationem operationis. Christum eam non habuisse alio tempore præcedente, non aliunde probat, quam ex principijs fidei contra Photinum.

§. 28. Secundò probatur à priori. Quod prius natura; & in præuisione diuina antecedit meritum, non cadit sub illud ex natura rei, vt disp. 27. probabo: sed vnio hypostatica ex natura sua, & in præuisione Dei antecedit omne meritum Christi: ergo. Probo Minorem, quia vnio hypostatica gerit vices suppositi naturalis: sed hoc natura sua, & præuisione Dei antecedit omne meritum animæ, quam terminat: ergo & vnio. Probo Minorem, quia naturale suppositum est conditio antecedenter requisita ad operationes, vt patet ex communi Theologorum assensu, & proverbio, *actiones sunt suppositorum.* quod probaui disp. 11. Metaphys. à §. 111.

§. 29. P. Vasquez disp. 21. cap. 3. hanc rationem impugnat. Primò, quia est minus certa conclusio: ne. Secundò, quia suppositum non est conditio requisita ex parte principij ad agendum: quia humanitas potest esse principium quod operationum: nam quod est productum vt quod, potest esse principium quod operandi: sed humanitas producit vt quod, quia iam intelligitur producta antequam assumatur: ergo. Tertio, quia accidentia à subiecto separata operantur, ita vt subiectum nihil conferat operationi. Quarto, quia variato supposito non variatur actio.

§. 30. Non vrgent hæc fundamenta ad deferendum commune principium S. Thomæ, & omnium Theologorum (si ab Scotticis discedas.) quod ad eò verum est, vt Ioannes ille celeberrimus Theologus Latinus in Concilio Florentino, maxime sess. 18. bene ante finem eam sententiam adstruxerit, vt communem in omni schola: Porro autem, iniquiens, actiones iuxta omnem Philosophorum scholam suppositorum esse videntur, vt in hominum generatione fieri videmus. Vnde hoc adagium non leuiter comparat auctoritatem.

§. 31. Respondet P. Vasquez eam propositionem non fuisse confirmatam auctoritate Concilij, quod